

& afflictio spiritus. Dic ergo: *nunc capi,
hac mutatio dextera excelsi.*

CONCLUSIO

Hujus regula, & ad Sacerdotes exhortatio.

En Genus electum, regale Sacerdotium,
Gens sancta, & populus acquisitionis, en
Regula Cleri, & ad vitam via. Iterum di-
cimus: *quicumque hanc Regulam secuti fue-
runt, pax super illos & misericordia.*

Comedite ergo istud volumen, hoc con-
ferentes in corde, ut abnegantes impieta-
tem & sæcularia desideria, sobriè, & jus-
tè, & piè vivatis in hoc sæculo, expectan-
tes beatam spem, & adventum gloriæ mag-
ni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.
Hæc omnia facientes, & vosmetipsos sal-
vos facietis, & eos qui vos audient.

Pax quæ exuperat omnem sensum, cus-
todiat intelligentias vestras, & corda vestra
in Christo Jesu, ita ut in charitate radica-
ti, & in fide confirmati abundetis & cres-
catis per omnia in illo qui est caput, Chris-
tus. Si laici, imò & fratres vestri detrahant
vobis quoniam bonitatem & viam arctam
sequimini, vestramque derideant simplici-
tatem, viriliter agite, & confortetur cor
vestrum; hi enim quæcumque ignorant

blasphemant. Date operam ut nemo vos
seducat inanibus verbis, quin etiam, qui
Sanctus est, sanctificetur adhuc.

Memineritis eos tantum salvos fieri qui
usque in finem perseveraturi sunt. Sic ergo
currite ut comprehendatis, ne jure in vos
jaciatur istud: *hic homo cepit adificare, &
non potuit consummare: hic est filius Ephrem,
qui intendens & mittens arcum, conversus
est in die belli.* Quid Judæ proditori bene
incepisse profuit? Discite hoc exemplo fi-
deles esse usque ad mortem, & dabitur vo-
bis corona vitæ. Nos verò confidimus qui-
dem hoc ipsum, quia qui incepit opus bo-
num, perficiet usque in diem Christi Jesu.
Sed & vos cavete ne vobis ipsis sapientes,
gratiam Dei in vacuum recipiatis; efficia-
mini verò sicut parvuli, ut vos exaltet in
tempore visitationis; & cum ille apparuerit
Princeps Pastorum, percipietis hanc immar-
cessibilem gloriæ coronam. O nimis beati!

Utinam, Fratres charissimi, sustineatis
modicum quid insipientiæ nostræ; non ut
confundamus vos hæc scripsimus, monui-
mus tantum, ut cum sitis ministri Christi,
fiatis conformes imagini ejus, & ut sicut
ille ambulavit, ita & vos ambuletis.

Eja ergo benedicite incessanter Domi-
num omnes vos qui statis in domo ejus,

ut ipsimet laici in vestrum odorem bonum currentes; laudent pariter & benedicant Dominum in omni tempore.

Attamen cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis; dicite: *servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus: non nobis, Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam*; quando enim ipse Deus coronabit merita nostra, dona sua, ut rectè loquitur D. Augustinus coronabit. Quis non humiliet se? quis non det gloriam Deo, ut ejus misericordiam in æternum cantare possit?

Dominus noster Jesus Christus, qui est fons omnium honorum, tales faciat Sacerdotes qualès descripti sunt. D. Thom.

PROTESTATIO

Auctorum.

Hoc opus animosque nostros iudicio & censura Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ Ecclesiarum Mater & Magistra, columna & firmamentum est veritatis; humiliter, devotè, & sincerè, ac eidem Ecclesiæ usque ad mortem in omnibus obedientes, subjicimus.

SIMON SALAMO ET MELCHIOR GELABERT,
Presbyteri Diocesis Elnensis.

FINIS.

INDEX

HUIUS REGULÆ CLERI.

CAPUT PRIMUM.

Janua ad statum Clericalem.

- Art. I. **S**eminarium. pag. 1
Art. II. *Vocatio.* 20
Art. III. *Probatio ante Ordines.* 25

CAPUT SECUNDUM.

Finis status Clericalis. 31

- Art. I. *Sanctitas.* Ibid.
Art. II. *Progresus in virtute.* 35
Art. III. *Imitatio Christi, & intima cum illo unio.* 38

CAPUT TERTIUM.

Impedimenta Sanctitatis & Salutis Clericorum. 44

- Art. I. *Quodcumque peccatum.* Ibid.
Art. II. *Superbia.* 46
Art. III. *Ambitio.* 47
Art. IV. *Avaritia.* 52
Art. V. *Cura rerum secularium & negotiatio.* 55